

LIBER SEPTIMUS,

DE

STELLIS FIXIS

& eo quod finit eas.

CAPUT I.

De Distantia Fixarum vel à Tellure nostra vel potius à Sole.

Omnipotencia in nullo magis manifestata quam in infinita multitudine.



Unc denique aggredimur rem, subtilitatem atque intellectum omnem adhuc magis excedentem. Etenim nusquam magis manifestata est Dei majestas, omnipotentia & creaturarum ejus abyssus, quam in contemplatione distantiarum, multitudinum ac vastitatum horum extra nostrum Planetarium Mundum, per ingentes simul inter se invicem distantias dispersorum Corporum luctentium.

Cum primis autem hoc loco, ad Continens seu Spatium illud *Infiniè*, Immense expansum, respiciendum erit; in quo nulla excogitari potest tam magna longitudine seu ingens distantia, ut ideo sit minus credibilis quam quævis alia major vel minor; nec nominari tam vastum corpus, quo aliud non possit inveniri majus aut excellentius; neque tantus Numerus indicari, quo non aliquis supersit. Unde lib. 2 cap. 12. diximus, quod nulla quantitas reverâ aliquid sit; vocabula enim ista *Magnum*, *Parvum*, *Vastum*, *Minimum* &c. sunt termini non absoluti, sed relativi, sic, ut eadem res cum diversis comparata, jam possit appellari vasta, & interdum insensibiliter parva. Quis enim potest negare, quin in *Infinito*, *Immenso*, facile assignari possit tanta distantia, ut ex ea, tota illa ab Astronomis sic putata Sphæra stellarum, ceu punctum appareat. Sicut autem tanta distantia nostro intellectui est incomprehensibilis, sic ingenuè confitendum est, Numeros, distantias ac magnitudines Stellarum, quæ jam ab

In Spatio Infinito quævis ingens distantia. Magnitudo ut & Multitudo, parva est estimanda.

Magnum vel Parvum, in Infinito Spatio, non est.

In infinito Spatio, facile distanta aliqua assignari posse, ex quantum totus Mundus saltem ut punctum appareat.

Astronomis omnibus conceduntur, tam esse imperceptibiles, quam quavis alias. Quemadmodum enim in apprehensione numerorum, cum ultra Myriadum Myriades est pervenit, intellectus noster confunditur, nec amplius conceptum formare potest, sic idem quoque in illis nobis accidet.

Astronomi quidem, stellis Fixis omnibus, unam tantum sphæram assignarunt, tam Ptolemaici quam Tycho[nici] ut & Copernicani; sed in mensurandis earum distantiis toto Cœlo à se invicem differunt.

Ptolemaici communiter attribuunt Fixis Parallaxin aliquam (summam à centro Terræ) 4 scilicet secundorum; ex quibus secundum eorum computationem attollitur Cœlum stellatum 45225 Semidiam. Terræ. Ricciolus verò saltem Parallaxin unius vel duorum secundorum eis assignat, ex quibus colligit distantiam vel 100000, vel 210000 semidiametrorum Terræ, qua de re perlegendum erit caput 26. lib. 1. *hujus tractatus*.

Tycho Brahe, sine Geometricis quidem fundamentis, forsan positione certi pro incerto (dum Saturnum 12340 semidiametros Terrestres à Terra abesse statuit) Fixis distantiam 14000 semidiametrorum Terræ: Sectator autem ejus Pat. Antonius Reita 20000000 semidiametrorum attribuit, videatur de his cap. 26. & 27. lib. 1.

Copernicani verò quia comperiuntur, semidiametrum Terræ nullam collecta ex omnino sensibilem facere Parallaxin ad Fixas, ideoque supponunt aliquam Altitude Stellarum collecta ex hypothesi bus Copernicorum ad

Altitudo Stellarum secundum Ptolemaicos.

Secundum Tycho[nicos].

Altitude Stellarum collecta ex hypothesi bus Copernicorum.